



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XX. Vtrum Fides diuina vltimo resoluatur in primam veritatem reuelantem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

credendi, seu omissioni fidei, per actum non obediendi, seu omissionem obedientie debita præcepto credendi incluso in locutione divina sufficienter percepta.

Art. 18. Constat igitur ex dictis, qualis, & quod duplex sit locutio divina; quid differt ab humana, & creaturalem & unde vim habeat gignendi actum fidei divinæ, & dependenter à qua, & quali eiusdem propositione, & quod caput est, locutionem Dei non posse innoscere, ac manifestari immediate per seipsam, sed mediante creata, ac sensibili propositione, qualis declarata est.

Ad 1. Locutio humana est immediate sensibilis, & habet auctorem sensibilem, ut dictum est. At Deus est insensibilis, & signa sensibilia significata ad placitum, quibus manifestat nobis suos conceptus, non habent manifestam connexionem cum ipso. Unde oportet, ut alia præterea indicia adiciantur, quibus innoscat, ipsum esse eius auctorem. Quare comparatio illa Ioannis non tenet, quoad hoc punctum; quia, ut notatum fuit quæst. illa 16. Locutio divina est similis humanæ, seclusis imperfectionibus, quarum una est sensibilitas loquentis, & actionis, qua loquitur. Maior efficacia locutionis divinæ in hoc consistit, quod cum sit occultior, & obscurior quatenus divina est, parit tamen assensum firmiorem, & circa difficiliora, ac profundiora.

Ad 2. Locutio Dei externa, & ab ipso distincta realiter est obiectum formale fidei quoad apprehensiones terminorum, & quoad iudicium de credibilitate credendorum. Obiectum autem formale assentiendi per actum fidei, est locutio Dei interna, identificata cum ipso, quam ostensum est, non manifestari homini viatori immediate per seipsam. Potest autem obiectum mediatè apprehensum, immediate movere ad assensum: Atque id præstat auctoritas divina.

Ar. 1. Ad 3. Tota obscuritas fidei divinæ est quoad auctorem locutionis, cui creditur. Quare cognitio evidenter, Deum esse auctorem alicuius locutionis, nullus relinquitur locus obscuritati fidei; consequenter nec ipsi fidei. Notum enim cum sit ex terminis, quidquid dicit Deus, esse verum; repugnat profectò, ut sit evidens aliquid esse dictum à Deo, quin simul, eodemque modo sit evidens, illud ipsum esse verum. Ex vi autem revelationis divinæ nil omnino aliud cognosci potest, seu obscure, seu clarè de mysterio revelato, quam ipsum esse verum. Cognito ergo evidenter, & clarè mysterium, quod revelatur, esse verum, uti profectò cognoscit, quicumque cognoscit evidenter, & clarè illud esse dictum, & revelatum à Deo; nil superest, quod per fidem ulterius cognoscatur obscure circa idem mysterium ex vi eiusdem revelationis; tamen si mysterium maneat interim obscurum quoad quidditatem, & alia prædicata propria ipsius; cuiusmodi obscuritas datur etiam in qualibet cognitione scientifica non comprehensiva sui obiecti, cum necesse sit ea ipsius prædicata manere obscura, quæ adhuc latent, seu quæ nondum cognoscuntur explicitè. Unde talis obscuritas nil facit ad propositum, cum obscuritas propria fidei sit penes illud ipsum prædicatum, seu prædicata, quæ per ipsam cognoscuntur explicitè.

Art. 2. Confirmatur, quia repugnat cognitionem esse claram, & evidentem quoad suum motum formale, quin sit tantumdem clara, & evidens quoad suum obiectum materiale, quatenus hoc illi subest, uti observat optimè D. Thom. 2. 2. quæst. 5. artic. 1. c. ubi hac ratione negat Angelis evidentiam in attestante, ut eisdem concedat fidem propriè talem mysteriorum, qua indigebant, quidquid renitatur ibidem operose Caietanus. Nempe motuum formale indivisum, eodemque modo movet ad cognitionem

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

sui, & obiecti materialis sibi subordinati. Distinctio porro vulgaris de evidentia dicti, & rei transferatur ad terminos similis distinctionis, iuxta dicta de evidentia dicti, & veri, & apparebit inanitas. Itaque Angelus supremus habuit quidem immediate à Deo notitiam rerum supernaturalium, quam subinde ceteris ipse communicaret; non tamen eam accepit à Deo immediate manifestante se, suamque internam locutionem; sed reddendo credibile, se esse auctorem locutionis per effectus, & indicia supernaturalia, ad eum modum proportionaliter, quo dictum est fieri respectu hominum. Nempe assensus existentie revelationis divinæ conceptus ex vi eiusmodi effectuum, ac indicatorum, tanquam ex motivo immediato assentiendi, est fides coacta, propria demonum, non illa laudabilis, & propriissime talis, propria fidelium, & Angelorum, & hominum, ut tradit ex professo D. Thomas in illa qu. 5. art. 2. contentiente eatenus Caietano ibidem.

Ad 4. Locutio propriè talis est libera manifestatio conceptus interni, ut dictum est ex D. Thoma, & aliis. Quapropter conceptus unus naturali necessitate, & non libera electione manifestati, seu manifestabiles alteri, non manifestantur per locutionem propriè talem; sed deprehenduntur scientiæ per discursum, mediantibus non signis ad placitum, sed effectibus naturalibus. Iam lex Dei naturalis, omnisque directio divina, respectu hominis purè naturalis deprehenditur hoc posteriori modo per discursum fundatum in natura ipsius hominis, aliorumque effectuum naturali necessitate subsequentium ad eius existentiam; ideoque non manifestantur per locutionem propriè talem. At Mysteria fidei innoscentur per effectus liberè à Deo superadditos, nec naturali necessitate subsequentes ad existentiam hominis, & per signa ad placitum, aliosque effectus primariò, & principaliter ordinatos ad manifestationem divinæ cognitionis, & aliorum obiectorum quatenus substantiam eidem cognitioni. Differunt ergo clarissimè inter se locutio Dei naturalis, & supernaturalis, quæque est perceptibilis per solam fidem, ab ea, quæ est perceptibilis per scientiam, licet utraque innoscat mediantibus effectibus creatis; de quo iterum dicetur infra.



QVÆSTIO XX.

Vtrum Fides divina ultimò resolvatur in primam veritatem reuelantem?



DETER non resolui. 1. Quia propter id unusquisque credit, propter quod iudicat esse credendum. Sed propter Miracula, Prophetias, & cetera argumenta fidei unusquisque iudicat esse credendum, ut apparet ex quæst. 17. & 18. Ergo propter eadem credit; ac per consequens in illa resolvitur ultimò Fides.

2. Non est per se notum, Deum esse primam veritatem, & multò minus primam veritatem reuelare hic & nunc hoc mysterium. Ergo utrumque innoscit ex alio. Ergo in neutrum eorum, sed in hoc aliud resolvitur ultimò nostra Fides.

3. Omnis cognitio unius obiecti ratione alterius continet in se formaliter, vel æquivalenter discursum constantem ex duabus præmissis; quia nulla propositio se sola potest inferre aliam; sed est necessaria conjunctio duarum, per quas conferantur inter se termini, quorum identitas, vel distinctio cognoscenda est

22 2 ratione

ratione alterius. Ergo Fides cognoscens ratione primæ veritatis articulos reuelatos, necesse est, vt æqualeat duabus præmissis. Ergo resoluenda est in duo obiecta formalia partialia, & non in solam primam veritatem reuelantem, quæ est simplex formalitas.

4. Actus, quorum vltima resolutio est eadem, sunt eiusdem speciei: Fides autem si resolveretur in primam veritatem reuelantem, haberet vltimam suam resolutionem communem cum vltima resolutione visionis beatæ; Quia visio beatæ vltimò resoluitur in primam veritatem, se, & alia, ratione sui, reuelantem beatam. Ergo Fides esset eiusdem speciei cum visione beatæ.

5. Fideles interrogati cur credant; communiter respondent. Quia ita docet Sancta Mater Ecclesia: Quia ita definiuit Romanus Pontifex, atque Concilium. Quia ita fert constans, & perpetua traditio totius Ecclesiæ; atque in his vltimò conuiescunt. Ergo in hoc, & non in primam veritatem reuelantem resoluitur vltimò nostra Fides.

6. Ipsa prima veritas est vnus ex articulis reuelatis à Deo. Ergo est obiectum materiale alicuius actus Fidei. Ergo non omnis actus Fidei resoluitur vltimò in primam veritatem, tanquam in motiuium suum formale.

Art. 1. Resp. Ista quæstio, & quæ proximè discutitur, coincidunt reipsa penè totaliter cum præcedentibus quæstionibus circa motiuium, erunt nihilominus viles ad maiorem claritatem, & meliorem intelligentiam rei in se obscuræ, ac difficilis propter oppositum processum doctrinæ præsentis, & præcedentis, vt apparebit ex dicendis, & propter nonnulla, quæ adiciuntur de nouo, ad firmandum magis intellectum in assensu veritatis, cui contradicit vehementer modus cognoscendi nobis connaturalis, dum penitus non introspicitur, modus peculiaris, quo habitus Fidei, & intellectus pro vt ipso informatus procedit in actu suo.

Art. 2. Resolutio in præsentem nihil est aliud, quàm regressus ab effectu ad causam, respondendo ad quæstionem, propter quid res est. Vnde resolueret Fidem nihil est aliud, quàm assignare causas ex quibus ipsa procedit, eaque assignatione satisfacere inquirenti, cur credis? De causa efficienti tenente se ex parte potentia, non dissidetur inter Theologos, consentientes eam esse auxilia dipinæ Gratiæ superaddita principiis naturalibus, quæ sunt communia aliis actibus humanis, iuxta dicta postremis quæstionibus de Gratiâ. Causam materiale constat esse ipsum hominem credentem, quatenus intellectus est. Causa finalis ex parte nostra est motiuium actus volendi credere, de quo dictum est supra, & dicitur iterum quæstione sequenti. Causa formalis credendi, est ipse actus Fidei, atque huius actus nulla vltius est causa formalis intrinseca; extrinseca verò est idem actus volendi, determinans formaliter potentiam intellectiuam, vt eliciat actum credendi.

Art. 3. Causæ formalis obiecti credendi triplex est distinctio, iuxta distinctionem actuum, qui interueniunt in opere credendi. Hi enim sunt tres, nempe actus ipse credendi, actus volendi credere, & iudicium de credibilitate. Quorum actuum, quia diuersa sunt obiecta formalia, diuersa etiam sunt resolutiones obiecti. Dicitur autem breuiter de duobus posterioribus quæst. seq. Nunc enim agitur tantum de primo actu. Distinguenda verò rursus est resolutio eiusdem actus credendi, quatenus est apprehensiuus terminorum, & conuenit cum simplicibus eorum apprehensionibus, quæ ad ipsum necessariò antecedunt, à resolutione eiusdem, quatenus est iudicatiuus, & affirmat veritatem sui, & obiecti ad quod fertur, prout præsentatur per ipsum, id est, quatenus differt ab iisdem simplicibus apprehensionibus. Re-

solutio actus Fidei quatenus est apprehensiuus terminorum, aut etiam conuenit cum aliis actibus enumerationis, qui non sunt actus Fidei, subiungitur resolutioni iudicii de credibilitate. Theologi enim in hac quæstione solum sunt solliciti, & merito, de resolutione Fidei, quoad id quod est proprium, & peculiare ipsius actus Fidei, & quoad id vnde habet veritatem, eiusdemque veritatis certitudinem firmissimam, cum summa ad ipsam adhesionem. Quidam nimirum sit illud quo tanquam primo fundamento nititur ea certitudo, & in quo vltimò sistit responsio ad quæstionem de eadem.

Art. 4. Dicendum est, vltimam eiusmodi resolutionem nostræ Fidei fieri in primam veritatem reuelantem. Inquirenti enim cur credis, Verbum carnis factum esse? Respondetur ab homine fidei, quia prima veritas reuelat ita esse. Inquirenti rursus, cur credis primam veritatem ita reuelasse? Respondetur similiter; quia hoc ipsum eadem prima veritas reuelat. Atque hic est terminus, nec potest vltius reipsa procedere quæstio, Cur credis? aut responsio ad eam quæstionem. Quia facta prima reflexione ad eam supra primam directam quæstionem, & responsionem, nihil restat vltius inquirendum, aut respondendum de motiuium, & actu credendi, quatenus inter motiuium, & actus credendi, & intra proprios Fidei terminos.

Art. 5. Omnes proinde vltiores interrogationes, & responsiones erunt synonymæ reipsa, quod ad proprium obiectum attinet, solumque diuersæ per imitationem quandam, & assimilationem reflexionis supra seriem actuum realiter distinctorum reflectentium sine fine, principio ducto ab vno directo. Vnde inquirenti tertio: Cur credis primam veritatem reuelare se ita reuelasse? Respondetur, quia hoc quoque ipsa reuelat, semperque huc vniuniformiter redibit responsio, quantumcumque ille pergat similiter inquirendo.

Art. 6. Quod si ille opponat, hanc esse stultam respondendi pertinaciam, iuxta illud primæ ad Cor. 1. 18. *Verbum enim Crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salui sunt, id est nobis, Dei virtus est.* Et iterum ibidem v. 21. *Placuit Deo per stultitiam predicationis saluos facere credentes.* Si, inquam, hoc opponat, quia stultum apparet ibi vltimò quiescere intellectum, vbi nulla est apparentia terminorum ipsum conuincens; recedendum est à motiuium, & actu credendi, seu potius faciendus est regressus, vt fiat infra ex professo, ab eo motiuium, & actu, ad actum scientiæ euidenter de prudenti credibilitate, & ad eius motiuium euidenter apparet, vt ostensum est supra. Nempe actus Fidei nostræ, licet essentialiter opponatur stultitiæ propriæ tali; non tamen illi opponitur formaliter ratione sui præcisè, cum non respiciat formaliter rationem clarè conuincentem; sed præsuppositiue, quatenus essentialiter præsupponit iudicium euidens de prudenti credibilitate.

Art. 7. Hinc apparet cur intellectus interrogantis non possit quietari responsione resolutoria Fidei intra proprios terminos, & petita ex motiuium credendi. Si præterea non adiungatur motiuium volendi credere. Quia cum intellectus ipse credentis non conuincatur ex se præcisè, nec ex sola propria inclinatione determinetur ad credendum; sed per violentiam quandam ad id cogatur imperio voluntatis, iuxta illud 2. ad Cor. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum,* fieri planè non potest, vt credens, præcisè quatenus credens, exhibeat inquirenti de eius Fide causam credendi, in qua intellectus illius plenè conuiescat; dum non adiungit causam, & rationem volendi credere, quæ quia est euidentis, & sufficienter mouens ad imperium prudens voluntatis, potest penariè

plenarie satisfacere intellectui inquirentis de prudentia, & honestate volendi credere, absque ratione concludente intellectum immediate, ut declarabitur quaeque praemittendo prius in eundem scopum, solutionem difficultatum immediate pugnantium contra datam fidei resolutionem.

Ad 1. Distinguenta est maior propositio; propter quod iudicat esse credendum, *To propter*, significantem motiū sic iudicandi. Negatur maior: *To propter*, significantem motiū credendi, seu motiū de quo iudicat esse sufficiens, propositumque esse sufficienter, ut propter ipsum credatur, conceditur maior; & distincta similiter minori, negatur consequentia. Aliud namque est motiū formale quo nititur iudicium praeuium de credibilitate, & aliud quo niti possit, ac debere subsequenter Fidem iudicatur. Quod similiter accidit in Fide humana, & in omni dictamine dirigente actum voluntatis. In his enim motiū formale actus subsequenter est eodem modo materiale respectu antecedentis, ac dirigentis.

Art. 1. Ad 2. Concesso antecedente, distinguitur primum conseq. Ergo ex alio inferente vtrumque simul per eundem consequentiam, negatur consequentia: ex alio proponente vtrumque simul, ut credibile ratione sui, conceditur consequentia. Distinguitur similiter secundum consequens: Ergo nostra Fides resoluitur vltimò in hoc aliud, quatenus est apprehensiva terminorum, & conuenit cum aliis praeuiis cognitionibus. Conceditur consequentia. Quoad id quod est proprium, & peculiare ipsius, negatur consequentia. Animaduertendum nimirum est, nunc agi de resolutione Fidei tantum, quoad id quod est proprium, ac peculiare ipsius. Quia doctrina de resolutione eius quoad id, quod est commune aliis cognitionibus, est communis resolutioni aliarum cognitionum, nec de ea est valde curandum in praesenti. Hoc autem est proprium, & peculiare in Fide, ut obiectum eius formale quatenus connexum cum materiali, & mouens ad eius, sui que assensum, nec sit per se notum ex terminis, nec inferatur per consequentiam necessariam ex per se notis; sed per imperium liberum voluntatis, supposita eundem illatione, quoad credibilitatem, ex per se notis.

Art. 2. Differt enim Fides à cognitione euidenti praeuiorum Principiorum, quod hæc nullum discursum præsupponit per se: Fides vero præsupponit. Ab opinione autem, quod hæc adhæret vni parti contradictionis cum formidine partis oppositæ, id est, ita adhæret vni parti, ut vi sua non excludat penitus partem oppositam; sed aliquatenus amplectatur cum particula *Fortassis*: Fides vero vnam partem certissime tenet, & excludat penitus oppositam. Differt denique à scientia conclusionum, quod hæc necessarîo inferatur ex præmissis, seu ex cognitione, ut loquuntur Philoſophus, Augustinus, & D. Thomas, quia præsupponit: Ipsa vero Fides non inferatur ex discursu, seu cogitatione; licet eam præsupponat non minus quam scientia, sed inferatur per imperium liberum voluntatis, habita credibilitate per discursum. Vnde assensus, & cogitatio; seu præmissa se habent in Fide, quasi ex æquo; in scientia vero tanquam causas, & causatum, inferens, & illatum, ut docet D. Thomas, de veritat. quaest. 14. quæ est de Fide, ar. 1. ubi hæc omnia luculenter exponit ex Philoſopho, & Augustino. Fides ergo, ut Fides est, secundum suam rationem differentialem, non potest vltimò resolui in aliquid per se notum, tanquam in motiū mediatum, vel immediatum sui secundum se, seu tanquam in applicationem ostensiuam credibilitatis, ut mox dicetur, quod sufficit, ut cognitio eorum, quæ non sunt per se nota, semper aliquo modo reuocetur in per se nota, ut docet Philoſophus ex professo in primo

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

Posteriori. & videtur esse omninò innegabile, ac indubitabile.

Ad 3. Cognitio prima veritatis reuelantis æquiualeat ratione sui duabus præmissis. Quia Deus, quatenus est prima veritas, est necessitas conditionata dicendi verum, si quidquam dixerit. Atque ideo fundat propositionem istam vniuersalem: *Si Deus loquitur, loquitur verum*: seu *quidquid dicit prima veritas, est verum*. Quatenus autem est reuelans, est necessitas absoluta dicendi, atque ideo fundat propositionem particularem absolutam conditionis positæ in priori vniuersali: *Prima veritas hic, & nunc reuelat hunc articulum, eiusque reuelationem*. Vnde rectè infertur, hunc articulum esse verum, eiusque reuelationem esse pariter veram. Ergo actus Fidei æquiualeat et perfectò discursui, quoad vim inferendi conclusionem, & dum resoluitur in primam veritatem reuelantem, æquiualeat resoluatur in duas præmissas obiectiuas, duoque obiecta formalia partialia. Quare concessio antecedenti, negatur vltima pars consequentis, admissis reliquis.

Art. 1. Ad 4. Dicendum, ait D. Thomas quæ illa 14. ar. 8. ad 3. quod veritas prima est obiectum visionis patriæ, ut in sua specie apparet; Fidei autem, ut non apparet. Vnde etsi idem sit vtrumque actus obiectum, non tamen est idem ratio: & sic formaliter differens obiectum diuersam speciem actus facit. Circa, quod videri possunt, quæ dicta sunt quæ 3. Vnde distinguitur antecedens. Quorum vltima resolutio est eadem re, & ratione; Conceditur antecedens. Est eadem, re; sed diuersa, ratione, & quidem admiscente aliquatenus in altero ex actibus aliud obiectum formale ignobilius, Negatur antecedens cum consequentia, cuius probationem diluit responsio D. Thomæ.

Art. 2. Nempe visio resoluitur in primam veritatem, ut apparentem in propria specie; ideoque mouentem ratione sui ad illam, tum quatenus est apprehensiva terminorum; tum quatenus eidem, & aliis ratione ipsius, assentitur enuntiativè. At Fides resoluitur in primam veritatem apparentem per species creaturarum, & consequenter apparentem ad instar earum; ideoque mouentem ratione sui præcisè quatenus eidem, ut reuelanti, & aliis ratione ipsius, enuntiativè assentitur; cum, quatenus est apprehensiva terminorum, moueatur formaliter ab objectis creatis. Vnde oritur aliud discrimen; nempe, quod prima veritas necessitat Beatum, ad assensum sui, & aliorum; quia operatur tota vi sua, ut est in se, minimeque impedita umbris creaturarum: Credentem vero non necessitat, quia operatur respectu eius, ut refracta in creaturis, & obscurata.

Ad 5. Ratio, ob quam Fideles ita communiter respondent, est, quia auctoritas, & propositio Ecclesiæ sunt regula sensibilis credendorum per Fidem, in eoque est magis obuia, & accommodata intellectui, & locutioni humanæ. Ceterum fides non resoluitur in illam, tanquam in causam mouentem obiectivè; sed tanquam in conditionem sine qua non, & applicationem. Quare perinde id est, ac dicere, Quia Ecclesiæ proponit hoc tanquam dictum à Deo, & applicat eius veritatem, & auctoritatem nostro intellectui, & voluntati, ad eum modum, quo dicitur lignum comburi, quia illi benè disposito ignis est proximè applicatus, subintellecto in expressione applicationis, & dispositionis, igne agente quantum simpliciter potest, in quam proinde sic agentem fit tota resolutio combustionis, tanquam in causam; sicut fit tota resolutio Fidei in primam veritatem, tanquam in motiū propositum per Ecclesiā. Si vero aliquis responderet, quia dicit Ecclesiā, animo significandi eam dictionem, tanquam motiū, & causam obiectiuam credendi formaliter ratione sui, prout distinguitur

Z z 3

ab

ab auctoritate diuina, non rectè responderet, nec ea esset resolutio propria Fidei diuinæ, sed humanæ; vt constat ex dictis superius.

Art. 1. Ad 6. Etiam existentia Dei est articulus à Deo reuelatus, & credibilis per Fidem, tanquam obiectum materiale, credendumque necessariò in ipso vitæ salutaris initio, iuxta illud: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Et tamen certum est, ante omnem, & quemlibet actum Fidei præsupponi euidentem aliquam cognitionem de existentia Dei; siquidem præcognoscitur euidenter, adesse obligationem credendi Deo, inductam per legem ab ipso impositam, eique placere, vt ipsi credatur, hic, & nunc, vt sæpe dictum, & deductum fuit ex eodem Apostolo quæst. præced. sub finem responsionis ad quæst.

Art. 2. Sicut ergo Deus præcognitus euidenter sub ratione entis à se, causæ primæ, aut alia simili, creditur simul per Fidem obscure sub alia ratione, non utcumque, sed talis, qualis agnoscitur à Fidelibus; nempe cum Omnipotentia omnium Proidentia, aliisque similibus perfectionibus, vt docet in hanc rem D. Th. dicta q. 14. art. 9. ad 8. Ita etiam prima veritas præcognita euidenter sub aliquo ex conceptibus, & modis exprimendi, quos quæst. 15. ostensum est, esse mutuo conuertibiles, & æquivalentes, potest esse motuum credendi eandem primam veritatem sub aliquo alio conceptu, & modo eam exprimendi, eritque proinde eadem re ipsa perfectio obiectum formale; & simul materiale; ratio credendi, & res credita sub diuersis expressionibus, & modis concipiendi, ac per consequens Fides de prima veritate resoluetur vltimò in eandem primam veritatem inter præconceptam, & præcognitam euidenter. Ex qua doctrina obiter apparet, quo pacto in concordiam facillè redigantur inter se, & cum nostra opiniones auctorum circa resolutionem Fidei, quæ totidem sunt, atque fuere circa motuum, eodemque modo conciliantur, quo conciliatæ sunt circa motuum quæst. illa 15.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum voluntas credendi vltimò resoluitur in credibilitatem Mysteriorum Fidei, & iudicium de credibilitate?



IDEATUR non resolui. 1. Quia vt prudenter quis eligat credere aliquid, non sufficit id esse credibile; sed necesse præterea est esse credibilis omnibus oppositis. Ergo voluntas credendi mysteria nostræ fidei, si quidem est prudens, non resoluitur vltimò in solam credibilitatem eorum.

2. Id est maximè credibile, quod plerisque videtur, & probatur; non autem sunt talia Mysteria nostræ fidei, utpote quæ parti generis humani longè maiori videntur falsa, & incredibilia. Ergo id in quo vltimò quiescit voluntas credendi Mysteria nostræ fidei, non potest esse credibilis eorum.

3. Id in quo vltimò quiescit quilibet actus voluntatis, est bonum utile, iucundum, aut honestum. Credibilitas autem, non est species alicuius eiusmodi boni, quia credibile dicitur relatè ad intellectum, & bonum relatè ad voluntatem. Ergo.

Art. 1. Resp. Quoniam responsio data in quæstione præcedenti, interrogationi, Cur credis? nondum omnino satisfacit interroganti; neque verò interrogatio, aut responsio vltèrius procedere possunt in-

tra terminos formales actus fidei, & circa motuum formale credendi, cogitur interrogans aliò diuertere, vt inueniat quietem sui intellectus, eaque interrogatione cogatur fidelis reddere rationem aliam, quæ ostendat, se dum credit, rationabiliter agere quod debet, neque posse iuste suam fidem ab aliis contemni. Instaurat igitur ille interrogationem aduersus primam illam, & vltimam responsionem Fidelium: *Quia Deus dicit.* Instaurat verò sic. Si quidem hoc principium non est per se notum, neque ex per se notis euidenter deductum: Cur captiuum tenes intellectum in eo credendo, quod latet? Respondet fidelis. Quia volo. Inquirenti rursus; cur velit? Respondet. Quia honestum est submittere intellectum Deo ostendenti, ac probanti sufficientibus testimoniis, se esse auctorem huius Doctrinæ; atque oppositum fieri, nisi per illum scelus non potest; id verò ostendit Deus, & probat sufficientibus testimoniis.

Art. 2. Quoniam æquitas, & sufficientia huius responsionis est euidentissima, si subsistat, quod dicitur, Deum sufficientibus testimoniis ostendere, ac probare se esse auctorem huius doctrinæ, huc demum inquisitio vnicè incumbit; vnde id constat: Respondetur autem constare: quia in confirmationem huius doctrinæ, tradentis inter alia primo loco, quod ipsa sit deriuata à Deo, patrata sunt plura, ac magna miracula, quibus inducta est in mundum fides eiusdem Doctrinæ; & si absque illis inducta esset, ipsa esset maximum essentialiter miraculum. Alique præterea effectus supernaturales euenire in confirmationem eiusdem veritatis, quorum auctor nullus nisi idem ipse Deus esse potest; atque in eam rem ea recensentur, & ponderantur omnia, quæ proposita, & ponderata sunt quæst. 18. vbi etiam ostensum est, non nisi per summam imprudentiam, & turpissimam obstinationem resisti illis posse. Quo ostensum consequenter est, inquisitionem non debere vltèrius procedere, & interrogantem, nisi acquiescat, acturum esse imprudentem; Imò et si maximè imprudenter agere velit, non posse non euidenter cognoscere, quod prudenter accommodetur fides huic Doctrinæ, nec possit sine peccato negari, aut in dubium reuocari, si ea omnia considerare velit, quod si nolit considerare, eo ipso grauiter peccare, vt mox dicitur.

Art. 3. Sed redit in fidelis, & vrget vltèrius: Esto ea argumenta doctrinæ Euangelicæ ostendant euidenter aliqualem eius credibilitatem, non tamen ostendere, quod prudenter credatur, & multò minus, quod ad sit obligatio eam credendi. Quia ea argumenta non ostendunt euidenter veritatem huius doctrinæ; sed solam credibilitatem coniunctam cum summa difficultate credendi; maximè verò exequendi, quæ docet esse necessaria ad felicitatem consequendam, quæque proinde redduntur simpliciter ad eam necessaria, si præstetur fides illi doctrinæ, quatenus vnusquisque tenetur operari iuxta suam Fidem, & debet esse miles, si illi contraveniat. Ergo rationabilis, ac regulis prudentiæ conformis est, relicta ea doctrina, ad hæc se soli rationi, eisque solis principiis assentiri, quæ euidenter ipsa ostendit esse vera; ideoque non solum facile, sed etiam necessariò illis assentitur, & ea sola amplecti præcepta morum, quæ eadem ratio nobis euidenter imponit, vt necessaria ad felicitatem, & sunt facilioris, ideoque sperabilioris executionis, quam præcepta Euangelica, & aliunde sunt sufficientia re ipsa, ad beatitudinem consequendam, si sola credantur esse necessaria. Probat ille consequentiam, quia oblati duabus regulis obtinendæ beatitudinis, alia euidentis veritatis, alia non euidentis; alia facilioris, & sperabilioris executionis, ideoque gignentis maiorem spem obtinendæ felicitatis, quam altera gignere possit, sola prior est prudenter eligibilis, nec nisi